



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XLVIII. Qualiter Dominus Sigismundus (Imperator) dictas treugas
impugnavit &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XLVIII.

Qualiter Dominus Sigismundus (Imperator) dictas treugas impugnavit &c.

VERUM cum hujusmodi compositio & pacis electio Serenissimo Domino nostro Sigismundo Romanorum Imperatori plerumque foret contraria, eo quod præter Imperialis Majestatis voluntatem & consensum fuisset assumpta, & signanter in ultimo ejus articulo, sacro Imperio & sibi derogare videretur, ipsam per Ambasiatores suos & scripta imperiosa tanquam dedecorosam, scandalosam & obnoxiam cassandam, rumpendam & annullandam mandavit, assistentiamque præbere Domino Duci Svvittergal, cui & ipse cum omnibus ferè Principibus & terris finitimis operosa vellet auxilia potentissimè adhibere &c. Cum autem hujusmodi foederis cassatio Dominis & subditis eorum gravis videretur, & illicita præsertim, cum sub bono fidei & honoris se ad has treugas inviolabiliter & sine dolo observandas strictissimè obligarunt, Ambasiatam ad Imperialem Majestatem suam ordinarunt per Dominum Commendatorem in Reden Johannem Pommersheim/ iterato per duos Dnn. Henricum de Plauen in Elbingo & dictum Joh. Pommersheim in Reddem Commendatores ad allegandos necessitatis articulos & anietates intolerabiles eos ad hujusmodi pacis foederum assumptionem & observationem compellentes. Sed cum tales modicum vel nihil proficerent, adhuc tertia & plenior Ambasiata disponitur, videlicet per Dominos Canitzen Commendatorem Christburgensem, Sigismundum de Wapels militem & Joannem Sterg Burgimagistrum Colmensem, qui & scribam ibidem sibi adjiciunt & assumunt. Cum igitur dicti Ambasiatores per viam directam hæreticis & hostibus undique obsessam Ungariam pertinere non possent, totam pene Almanniam, Marchiam scilicet &

Saxoniam, Misniam, Thuringiam, Franconiam, Bavariam & Austriam perlustrare coguntur, quousque ad Dominum Imperatorem Posonii pervenerunt. Labet autem ob nonnullorum spectaculorum in via visorum relationem modica digressione pati. Nam in Norimberga, licet per instantissimas precum oblationes dicti Domini Ambasiatores vix obtinuerunt ostensionem preciosissimi thesauri SS. reliquiarum per sæpè dictum Dominum Sigismundum Imperatorem modernum de castro Pragensi, illuc translatarum. Quem quidem thesaurum licet indigni ibidem vidimus oculis (proh dolor) pollutis & immundis in hospitali novo S. Spiritus. Primo namque ostendebatur crux aurea de auro purissimo, in qua portio notabilis & magna S. crucis continebatur, in qua etiam apparentissimè videbatur foramen, quod dextram manum Salvatoris nostri in penetratione clavorum conungebat. Secundo ostendebatur sanctissima lancea, qua cor Salvatoris penetravit, mysticam nobis cœli portam diutissimè clausam aperiendo. Eidem lanceæ infixus fuit clavus ferreus, qui pedem aut manum Christi penetravit. Item portio magna de præsepio Salvatoris nostri nati. Item ostendebantur tres catenæ Apostolorum Petri & Pauli & Andreae. Item dens S. Joannis Baptistæ. Item portio de tunica S. Joannis Evangelistæ, quam abiecit Christum captivatum sequendo &c. & plures aliæ reliquie Sanctorum. Item ostendebatur gladius Caroli cœlitus sibi transmissus. Item corona Imperialis Caroli cum permultis reliquiis eidem intextis. Item Dalmatica & totus habitus ejusdem, in quo Evangelium legere consuevit in nocte Christi. Item gladius Mauritii cum multis aliis reliquiis.

PRI.